

quaq; agunt in propria virtute, in quo differunt ab instrumentalibus, sicq; ignis producens aliū ignem in stupa, dicitur esse eius causa vnioca; causa verò principalis æquioca est, quæ in sua propria virtute producit effectum, non tamen effectum similis naturæ secum: sic sol propria suâ virtute eminentialiter producit calorem, licet non sit formaliter calidus: at causa instrumentalis est ea, *qua non operatur in sua propria virtute, sed in virtute alterius*: sic serra scindit lignum in virtute hominis dirigentis ferram, & dicta definitio conuenit non modò principalibus, sed etiam instrumentalibus causis, nam etiam suo modo causæ instrumentales sunt principii mortis, & quietis, nimirum primum principium instrumentale, hoc est primum in suo genere.

Num. 8.
De causalitate causa efficientis.

Quæritur secundo. Quænam sit causalitas causæ efficientis? existimant Soncinas *Met. q. 4.* & lauelus ibidem causalitatem causæ efficientis in eo præcisè consistere, quòd det esse suo effectui. Fonseca *Met. q. 13. sect. 3.* dicit causalitatem causæ efficientis consistere in aliquo modo intrinseco rei adueniente.

Probat.

Respondeo tamen cum communiori opinione consistere in actione. Probat contra Soncinatem: Illud non est causalitas causæ efficientis, quod non distinguit causam efficientem ab alijs causis: sed ex eo quod causa efficiens det esse suo effectui, non distinguitur ab alijs causis; quia etiam aliæ causæ dant esse suo effectui, ergo in hoc non consistit causalitas causæ efficientis, ergo in actione.

Probat verò contra Fonseca: causalitas causæ efficientis in actu secundo debet distingui ab ipsa causa: sed modus rei intrinsecus non distinguitur à re modificatâ, ergo causæ efficientis causalitas non est modus intrinsecus ipsius efficientis. Deinde Deus est vera causa efficiens, & tamen nullus modus intrinsecus ipsi aduenit, ergo consistit in actione.

Probat id directè: Illud est causalitas alicuius causæ, per quod causa constituitur actu causa: sed per actionem causa efficiens, & non per aliquid aliud constituitur actu causa, quia posita actione causa efficiens est actu causa, remotâq; actione non est causa actu. Secundo Causalitas causæ efficientis est id ratione cuius immediatè producit effectus; sed ratione actionis producit effectus, ergo &c.

Quidam verò debeat intelligi per actionem, an ille motus, qui intercedit inter causam, & effectum, an relatio extrinsecus adueniens, determinamus, in *Metaph. disp. de actione & passione.*

Obj. 1. vni.

Objicit Fonseca contra responsum: Causalitas causæ materialis, & formalis consistit in aliquo modo intrinseco, ergo & similiter causalitas causæ efficientis.

Resp.

Respon. transeat antecedens, nego tamen consequentiam, nam est disparitas, ideò enim causa materialis, & formalis habent modos intrinsecos secundum communem opinionem pro suis causalitatibus, quia sunt formæ intrinsecæ, ergo quia causa efficiens, & finalis sunt causæ extrinsecæ, debent habere pro suis causalitatibus modos extrinsecos, cuiusmodi est actio.

Obj. secundum.

Objicitur secundo: Causalitas debet esse distincta ab effectui, sed actio non est distincta à re producta; Item Deus est vera causa efficiens ad extra, & tamen non agit per veram actionem.

Resp.

Respondeo negando actionem non esse distinctam ab effectui, præsertim in via Scoti, in qua ambulamus in *Metaph.* quoad hoc, cum enim dicat actionem esse respectum illum extrinsecus aduenientem,

certum est, quòd actio distinguitur ab effectui; In via quoque Thomistarum actio formaliter sumpta distinguitur à re producta. Ad aliud dic Deum agere ad extra etiam actione, sed instantaneâ.

Quæritur tertio. An tantummodò Deus producat effectus, an etiam causæ creatæ aliquid efficiant? fuerunt quidam vt *Alliacensis in 4. dist. 1. art. 4.* dicentes causas creatas nihil omnino operari, sed Deum ad earum præsentiam omnia præstare.

Num. 9.
Non modò Deus, sed et creatura aliquid agunt.

Respondeo tamen cum torrente Philosophorum, & Theologorum, quòd non modò Deus sed & causæ secundæ agunt effectus suos: Id ipsum euidentissimè indicant illa verba Geneleos, *Germinet terra herbam viuentem iuxta genus suum, &c.* Ratio verò talis est: Illud agens producit effectum, cui effectus attribuitur, & assimilatur, sed effectus attribuitur, assimilaturq; causæ secundæ, ergo causa secunda concurret effectiue ad productionem effectus, & in his conueniunt omnes recentiores.

Supposito ergo quod causæ secundæ producant effectus suos, in cõtrouerfiâ reuocatur, an solè causæ secundæ concurrant ad productionem sui effectus, an verò Deus cum illis concurrat? sed hoc specialiter, & prolixè sequenti partitione discutendum est.

Partitio IV.

An Deus Concurrat cum causis secundis?

Semisopita iacebat præsens difficultas præteritis sæculis, sed ab annis aliquibus caput diligentius proponi atque agitari, quare non erit abs re in ea examinanda immorari, de ea verò agunt Theol. *prima parte circa quest. 103. aut 105. aut 1. 2. circa q. 109.* Item in secundo sentent. circa distinct. 1. aut distinct. 37. Philosophi verò in 2. *Physicorum* tractatu de causâ efficiente: neque hos, neque illos, præ multitudine adduco.

Communis opinio est Deum concurrere cum causis secundis ad omnes earum actiones, id verò negat Durand: in 2. *dist. 1. quest. 5. & dist. 37. quest. prima & Aureolus in 2. dist. 38. quest. unica. art. 1.*

Sic procedemus. In 1. *Clypeo*: Afferemus rationes, quibus solet immediatus stabilitur concursus Dei cum causis secundis. In secundo rationes eum non admittentium. In tertio *Clypeo* rationibus primi *Clypei* respondebitur. In quarto rationibus secundis: denique feremus iudicium duabus resolutionibus. In prima quid possit dici circa admissionem, aut non admissionem indicabimus: In secunda posito, quòd detur ille concursus, inquiremus, an deberet esse præuius, vel an sufficeret eum dicere simultaneum? afferemus argumenta vtriusq; partis, id est tam pro determinante, quàm pro simultaneo concursu eaque soluemus.

CLYPEVS PRIMVS.

Rationes, quibus probatur Deum concurrere immediatè cum causis secundis ad earum actiones.

Reuerendus Pater Raynaudus in examine noua *Theologiae* contra Sequanum Theologum Probat primò ex autoritate ferè triginta Theologorum Scholasticorum tam sui, quàm aliorum ordinum: Item autoritate Philosophorum Ethnicorum, & quorundam Recentiorum, quorum nonnulli opinionem Durandi, & Aureoli vt errorneam, alij saltem vt errori vicinam, alij vt contrariam

Num. 10.
Proposuit in 2. rationes probantes Deum concurrere immediatè cum causis secundis ab eorum actio- nes. Prob. 1. Authoritatibus.